

**Dissertatio inauguralis medica de ventriculo morborum chronicorum  
faecunda matre .... / [Johann Georg Christoph Vanos].**

**Contributors**

Vanos, Johann Georg Christoph.  
Vesti, Justus, 1651-1715.  
Universität Erfurt.

**Publication/Creation**

Erfordiaae : Typis Joh. Heinr. Groschii, [1704]

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/ef4ybafc>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Q. D. B. V.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICÆ

DE

VENTRICULO MOR-  
BORUM CHRONICORUM  
FÆCUNDA MATRE,

*Quam*

AUSPICE DEO,

AUTHORITATE & CONSENSU

*Nobilissima & Amplissima Facultatis Medicæ*

In Alma & Perantiqua Universitate Hierana,

PRÆSIDE

*Nobilissimo, Amplissimo ac Expertissimo,*

DOMINO

**JUSTO VESTI,**

Med. Doct. Pathol. Prof. Publ. celeberrimo,

Facultatis Med. Assessore Gravissimo,

*Examinibus ritè exantlatis,*

PRO LICENTIA,

*Supremos in Arte Medica HONORES & PRIVI-*

*LEGIA DOCTORALIA more majorum,*

*ritè capeffendi,*

Publicæ eruditioni Censuræ submittit

JOANNES GEORGIUS CHRIS-  
TOPHORUS VANOS,

Dünckelsbühla Svevus,

IN AUDITORIO MAJORI

*Horis consuetis ad diem 29. Julij, 1704.*

---

*Erfordie, Typis Joh. Heinr. Grofschij, Acad. Typographi.*

**DEO**  
ATQVE  
**PATRONIS**


**DISSERTATIONEM HANC  
INAUGURALEM**

**Offert, dedicat, ac consecrat**

**JOANNES GEORGIUS CHRISTOPHORUS VANOS,**  
**Author & Defendens.**



PRÆFATIO ad LECTOREM.



Medicina certe omnium artium atque scientiarum nobilissima est, reliquisque palmam præfert; *cujus objecto* in hoc terrarum orbe nihil præstantius; *cujus fine* nihil exoptabilius; *cujus antiquitate & necessitate* nihil præclarius. *Objectum* constituit *Corpus humanum vivens quæ sanabile*; non enim in potestate Medici est, cadaver seu corpus humanum jam jam demortuum sanare, eique vitam rursus restituere, quod opus est *Solius DEI, Medici omnium perfectissimi*, qui omnes morbos curare potest. *Finis* illius est *Sanitas*, qua nihil magis exoptandum, hanc qui habet, omnia habet: Possideat aliquis palatia artificiosissima; aulas splendidissimas; possideat hortos amœnissimos, epulas delicatissimas; possideat Principum & Regum favores, familiaritatemque illorum conjunctissimam; possideat denique omnia mundi regna, omnesque ejusdem divitias, nihil tamen revera possidet, nisi simul sanitatem possideat: Talis enim voluptatibus frui (licet illis ut *Tantalus aqua* sit circumdatus) non potest, sed le-

Et affixus inter summos dolores ac cruciatus detinetur. Quid tam infelici statu comiserabilius? libentius multi ipsam mortem subirent, quam ut tam diuturnis morbis crucientur. Percurre ægrotantium domus, & ex Patientibus sciscitare, num libentius morbos diutius velint perferre? num ipsam mortem velint eligere? & plurimi sane hoc responsum ferent: multo libentius ipsam mortem sustinebo, quam ut per longius tempus adhuc tam sævis & crudelibus doloribus torquear. *Antiquitas Medicinæ* ex eo constat, quod illa à *DEO* sit creata; is enim est, qui percutit & sanat, is est, qui facultatem largitur, ut appropriata inveniantur remedia. Adamo hominum primævo infusa, dum ille animalium & vegetabilium naturas ac virtutes habuit cognititas, ut ea fugeret, quæ nocerent, illa verò amplecteretur, quæ sanitati prodesse, ille etiam post lapsum statim fuit morbis exposcitus: hinc illa cum ipso humanitatis ortu initium coepit, cum nihil antiquius esse possit causa, ob quam inventa est, morbis scilicet, incommodisque mortalium. De *Medicinæ necessitate* vix opus esse arbitror, ut verba faciam, cum illa cuique satis nota sit: Quid enim magis necessarium, quam sanitas? quam *sacra hæc Medicandi ars* (in quantum possibile est) restituit. Quod etiam ulterius confirmatur ex *Sacris Biblijs*, ubi scriptum legitur, *bonora Medicum propter necessitatem*, ex quo satis manifeste deducitur, Medicinam esse perquam necessariam Generi humano, ut sanum conservetur. Quam ob rem manifestè probatum esse arbitror, Medicinam omnium artium atque scientiarum principem locum facilè obtinere. *Perspecta* satis *Medicinæ Nobilitate, præstantia, antiquitate,*  
atque

atque necessitate, in mentem veniunt verba *magni Hippocratis, Apb. 1. S. 2. dicentis : Vita brevis, ars longa, occasio præceps, experientia periculosa, iudicium difficile* : quibus paucis, sed satis nervosis verbis Medicinæ difficultatem innuit, & quam non nisi maximis laboribus adipisci possumus, cum præsertim *vita brevis* sit. Ubi homo vix incipit vivere, jam iterum ad tumultum tendit, & ubi Medicus aliquam experientiam & cautelas practicas sibi accumulavit, mors pulsat fores, eumque è medio tollit. Non minus eleganter dixit, dum *artem longam* Medicinam appellat; nulla enim alia scientia vel ars tam latè patet, quam Medicina, quæ omnia (quæcunque demû è terræ gremijs eruuntur, quæ in terræ superficie vegetant, & quæ in terra vivunt) in forum Medicum adsciscit : quo quid difficilius? mineralium efficaciam & effectus, vegetabilium virtutes, animalium naturas habere cognitas, magnum requirit tempus & iudicium; hinc non nisi longo temporis tractu ars hæc addiscitur. *Occasio præceps* est, cum Medicus (pessimo sanè plurimorum consilio) non advocetur, nisi periculum sit in mora, vel morbus jam altas egerit radices vel agyræ & circumforanei morbum simplicem in complicatum, curabilem in incurabilem converterint, ubi inde Medicus occasionem vel jam præteritam, vel proximè imminentem & præcipitem offendit; hinc ubi occasionem videt, naturaque per aliquam evacuationem morbum solvere conatur, Medicus eam adjuvare debet (*natura enim minister dicitur ab Hipp.*) & illam nunquam negligat, cum præceps & calva sit, natura enim fractis jam viribus tam facile operari amplius non potest. *Experientia periculosa*, imò periculosissima est; quis enim

Medicorum tantæ audaciæ erit , qui spretis omnibus ratiocinijs experientiam tentare audeat? nam pessimè talis conscientiam suam maculat. Experientia enim , nisi fundata sit in ratione, & e contrario ratio in experientia, cæca, manca , & inutilis est : & in hoc Medici Rationales differunt ab empiricis , qui rejectis omnibus ratiocinationibus, soli experientiæ confidunt, sed quot & quanta homicidia & errores committant , in vulgus notissimum est. Nondum tamen damno aliorum sapere volunt plurimi ægrotantes , qui prius se agyrtis, circulatoribus, carnificibus, & hujus farinae hominibus, per mortes hominum experimenta facientibus, committere volunt , quam Viro Docto & in arte perito , qui non tam experientijs, quam etiam rationibus munitus est : unde morbo in deterius ruente (cum Patientes ab istis hominum deceptoribus derelinquantur) primum ad Medicū decurrunt, qui deinde morbos ancipitiseventus debet suscipere, cum inde res malè cedit & æger moritur , non erubescunt culpam in in Medicum referre. *Judicium denique difficile* , quod Medico perquàm necessarium est , cum experientiæ sint fallibiles , & morbi sub varijs speciebus ludant *juxta verba Cei l. de natur. bom. §. 12. multa sunt morborum forma, multiplex est eorum curatio.* Hinc exactum requiritur iudicium, quod non cadit in empiricos, eo quod morborum causas & differentias non sciant; consequenter neque curationem, quæ pro diversitate subjectorum &c. varianda, & aliter instituenda in homine temperamento cholericò, aliter melancholico , aliter phlegmatico prædito, aliter in sexu potiori, aliter in sexu sequiori, aliter in pueris & adolescentibus, aliter in viris & senibus , alter tem-

pore æstivo & in climate calido , aliter tempore hyemali & in climate frigidiori , aliter in literatis atque in dignitate constitutis, aliter in laboriosis & mechanicis &c. quæ omnia benè sunt examinanda , & causæ morborum perscrutandæ, quæ ad curationem plurimum faciunt. Ex his concludimus, Medicinam esse artem & scientiam omnium præstantissimam , sed & difficillimam, cum plurimi morbi ijque diversissimi unam, eandemque agnoscant causam , quod quotidiana attestatur experientia , & quod nullibi magis verificatur, quam in morbis ventriculi, qui plurimos , & ferè innumeros morbos producere solet, quod me impulit, ut mihi hoc thema scilicet *Ventriculum esse morborum chronicorum fecundam matrem*, præ reliquis pro Disputatione Inaugurali selegerim, cum profecto plurimi morbi (imò ausim dicere, mediam præ eos Medicinæ partem morbos ventriculi constituere,) inde natales suos deducant. Non equidem inficior, me materiam nimis arduam aggressum fuisse, quæ totum librum & opus satis magnum expeteret , quam ob spatij & temporis defectum ita fusè pertractare nec potui, nec volui, sed me tua, *Lector Benevole*, consolatur benevolentia, dum me eò facilius veniam impetraturum confido, si Tibi in omnibus non satisfecerim , & materiam hanc prænobilem pro rei dignitate non fuerim persecutus, cum id materiæ tam difficili & tam latè patenti adscribi debeat; quæ mea sententia si tibi arrideat, & veritati sit consona , gaudeo me hanc operam proximo præstitisse, sin minus, libenter me corrigi patiar (errare enim est humanam , & Juveni atque tyroni non adeo imputandum) expetoque , ut quod ego nequivi , alij generi humano prospiciant. *Dissertationem*

tionem hanc Med. in quinque divisi Capita, ubi singulis Capitibus Quæstionem Medicam non minus utilem, quam curiosam subnectere placuit, ut *L. B.* incitamento essem, pagellas istas ulterius perlegendi. Quapropter nihil aliud superesse arbitror, quam ut *DEUM*, omnis sapientiæ fontem implorem, velit mihi ex alto gratiam hanc concedere, ut hic meus labor *in æternam sui Nominis Gloriam*, ægrotantium verò salutem ac emolumentum cedat!

## CAPUT I.

*Probatur Ventriculum esse fecundam morborum chronicorum Matrem.*



**D**um *Ventriculum morborum chronicorum fecundam Matrem* appello, assertum hoc tam strictè summendum non est, ac si non etiam concurrat ad morbos acutos, quod ne quidem negavero, quotidiana id attestante experientia. Quid enim frequentius à ventriculo morboso oritur, quam *Colica, cholera, inflammatio ventriculi, febres inflammatoria, ardentis, convulsiones gangrena, sphacelus &c.* nonne & hi morbi à ventriculo malè constituto originem suam nanciscuntur? dum enim *Ventriculus p. n.* se habet, assumpti cibi minus benè digeruntur, chylicatio læditur, chylus extrahitur heterogeneus, qui inde ad motum est tardior, vel omnino stagnat in vasculis præsertim capillaribus, ubi magis corrumpitur, acorem contrahit, qui tandem per ductum thoraceum venæ axillari sinistrae in-

fun.

funditur, cum sanguine commiscetur, qui eodem vitio comminquinatur, ubi M. S. successivè ita inficitur, ut varij inde oriuntur morbi tam acuti, quam chronici. Cum verò instituti nostri rationem excedat, ut de ventriculo morborum acutorum origine agamus, illos silentio præterire, & ad morbos chronicos transire lubet. Morbi chronici à ventriculo dependentes sunt permulti, & vix ullus morbus chronicus existit, qui non natales suos debeat vitiosæ chylicationi, & ubi actio ventriculi non simul læsa sit: teste *Clariss. Friderico Hoffmanno in Annotat. in Opera Poter. Gent. 1. Cap. 19. pag. 41. Id. Auctor in fundam. Med. Lib. 2. Cap. 8. pag. 135. ita loquitur: Fundamentum morborum morborum [scilicet affectus hypochondriaci & hysterici] est digestio primarum viarum & chylosis penitus destructa, propter vitiatam salivalem & gastricam lympham &c. Confirmant hoc ulterius Michaelis Ettmülleri Opera omnia in Compendium redacta, Colleg. Pract. Lib. 1. Sect. 5. pag. 205. ubi ita legitur: Chylosis læsa morbos chronicos inducit, ex cruditate acida in stomacho oriuntur febres intermittentes, malum hypochondriacum &c. Probat hoc ulterius ratio, dum enim chylus vitiosis qualitatibus imbutus est, sanguinique confunditur, illum tum in motu, tum in crasi sua turbat, unde illius motus retardatur, obstructions, ex his tumores, vasorum ruptiones & tandem humorum extravasationes accidunt, quæ morborum chronicorum causæ plerumque esse solent. Quod ut eo melius percipiatur, opus esse arbitror, ut ab inductione probatio desumatur: ubi I. sese offert affectus hypochondriacus, malum literatos magis, quam fatuos, magis vitæ sedentariæ addictos, quam laboriosos infestans, qui*

ortum suum à depravata habet digestionem, ut hoc testatur *Clariss. Frid. Hoffmannus* in  *suis Annot. in Oper. Poter. Cent. 1. Cap. 18. pag. 40. dum inquit: Affectus est spasmodicus, & radicem plerumque habet in primis viis, illarumque digestionem viciata. Vid. Balbaf. Timæi à Gùldenkleæ Lib. 3. Cas. Med. Cas. 31. pag. 152. dum ait: Unde statuimus, veram & proximam, hujus obstructionis causam esse humores crassos, terrestres, faculentos, tartareos, & imprimis melaneolicos, quod ipsum victus ratio crassior, aquarum hujus loci maritimi vitium, ventriculi imbecillitas, vita sedentaria &c. abunde confirmant. Vid. Michael. Ettmùlleri Opera omnia in Compend. redacta Lib. 1. Colleg. Pract. Sect. 16. pag. 336. qui ita scribit; vitium haeret in fermento digestivo minus volatili, sed nimis acido. Dum enim chylus impurius generatur in ventriculo, ille in intestinis vix amplius aut ne vix quidem depurari potest; nam quod in prima digestionem negligitur, hoc in secunda & tertia raro aut nunquam corrigitur, juxta commune Medicorum effatum, qui inde in vasculis minimis facile stagnat, corrumpitur & acorem acquirit, unde sanguini commistus, illum eodem vitio conspurcat, acidumque reddit; sanguis verò per totum corpus circulatur (quod jam *Hipp.* notum fuisse, ex his verbis colligitur, dum ait *Lib. de Alim. Alimentum in pilos, ungues, extimaque superficiem ab internis partibus perveniat, rursusque ab externis, externaque superficie ad interna redeat*) & spiculis suis acidis spasmodica inducit symptomata. Vid. *supra cit. Hoffmannus Cent. 2. Cap. 88. pag. 253.* qui per pulchre & mechanicè horum symptomatum causas recenset. Ex eodem fonte deducenda venit *Passio Hysterica*, quæ eadem*

dem cum priori affectu agnoscit causas, ejusdemque indolis est, nisi quod interdum majora sint conjuncta symptomata, partim ob genus novorum imbecillius, partim verò ob defectum menstruæ purgationis, hinc ut cum *Helmontio loquar, omnis fœmina morbum bis patitur, quatenus est fœmina, & quatenus est homo.* Quod eo magis patet, si scilicet fœminæ huic malo obnoxia in diæta errorem aliquem committant, ut si v. g. salitis, fumo induratis, muria conditis, acidis &c. vescantur., statim adsunt murmura ventris, borborygmi, tensiones flatulentæ, pandiculationes, oscitationes, spasmi &c. quæ statim talem vitiosam diætam subsequi solent, paroxysmumque jam imminentem indicant, manifesto indicio malum hoc à vitiata ventriculi constitutione dependere. Nihil magis in sexu sequiori occurrit, quod illum tam frequenter affligit, quam *menstruæ purgationis vitia*, & quoties fœminæ ægrotant, illius fluxus ratio habenda est; sed unde quæso malum hoc tam frequenter nascitur? Nulla certè ex alia causa, quam à prava & vitiosa diæta: Mulierculæ enim præsertim verò delicatulæ genio suo indulgent, & non multum curant, quæ noceant, vel prosint, sed quidquid palato arridet, illud nulla habita de super saniratis ratione ingerunt, & devorant, unde tot mala dependent. Ab acidis assumptis, item à potu frigido, nec non à nimia quantitate alimentorum assumpta mensum suppressio sæpissimè ortum suum habet: Acida enim chylum præcipitant, sangvinem coagulant, ejusque spirituscentiam impediunt, potus frigidus partes solidas constringit, sangvinis motum inhibet, M. S. condensat, rarefactionem ejus suppressit; nimia alimentorum quanti-

tas assumpta in ventriculo non benè resolvitur, cum men-  
 struum gastricum insufficiens existat ad tantam molem  
 dissolvendam, illa parum vel nihil vel superficialiter tan-  
 tum immutata fluctuant in ventriculo, doloremque gra-  
 vativum causantur, per pylorum verò in intestinum duo-  
 denum demissa ab affluente bile & succo pancreatico  
 sufficienter subtilisari non possunt, sed iste chylus crassus  
 & heterogeneus sanguini demum infunditur, qui illum  
 eodem vitioso caractere coinquinat, illius rarefactio-  
 nem retardat, motus sanguinis languidus & tardus evadit,  
 secretiones langvent, sordes excrementitiæ retentæ illum  
 ulterius conspurcant, & tum in crasi, tum in motu tur-  
 bant, unde sanguis tardius per uteri vasa circulatur, vasa  
 uterina non satis distenduntur, (quæ tensio ad illorum va-  
 sorum aperturam requiritur) quo suppresso, etiam men-  
 strua supprimuntur. *Cachexia* sive frigida & humida  
 sanguinis (ut cum veteribus loquar) intemperies, quid a-  
 liud indicat, quàm pravam ventriculi constitutionem,  
 bradypepsiam, dyspepsiam, apepsiam, aliaque ventriculi  
 mala? Dum enim digestiones ventriculi sunt diminutæ,  
 depravatæ, vel omnino abolitæ, chylus nascitur hetero-  
 geneus, saburra vitiosorum humorum in primis vijs colli-  
 gitur, sanguis inficitur, inspissatur, & ad rarefactionem ac  
 motum ineptus redditur: Spiritus crassi & torpidi gene-  
 rantur, cum illis pabulum subtile & activum deficiat, &  
 ad hoc officium sanguis crassior ac minus spirituosus de-  
 stinatur, unde necessario etiam tales spiritus secernuntur  
 (qualis enim chylus talis sanguis, qualis sanguis tales spi-  
 ritus, tales actiones & talis sanitas &c.) in cerebro, omnes  
 totius corporis actiones langvent, cum illæ à spirituum a-  
 nimalium:

nimalium influxu in nervos dependeant, qui si sint acti-  
vi & facilè mobiles, actiones citius & celerius absolvun-  
tur, sin verò minus subtiles & torpidi existant, actiones  
quoque tardius & langvidius peraguntur. Prout hoc et-  
iam contingit in cachexia, ubi nutritio depravatur, requi-  
ritur enim ad laudabilem nutritionem tam sanguinis,  
quam etiam spirituum legitimus influxus, quo eo meli-  
us particulae roridae, chylosae, & gelatinosae partibus so-  
lidis possint assimilari, ut satis ex physiologicis constat.  
Cum verò in praedicto affectu, tam sanguis, quam etiam  
spiritus sint in crasi sua destructi, necessario etiam succus  
nutritivus depravatur, qui in acidam & viscosam materiam  
convertitur, quae inde partibus solidis agglutinatur, inde-  
que vitiosa nutritio sequitur. Hinc subtumidus & pal-  
lidus corporis habitus apparet, quia sanguis spiritua scen-  
tia sua depauperatus ad extremitates corporis permeare  
non potest, ob nimiam crassitiem & viscositatem: hinc  
color pallidus (cutis enim per se albicat, & omnem colo-  
rem rubicundum à sanguine mutuatur) deducendus ve-  
nit, cum sanguis viscosus ad extimam corporis superfi-  
ciem non deferatur. Cachexiae affinis est *bydrops*, malum  
& Patientibus & medentibus molestum juxta illud vul-  
gare:

*Hydrops & Quartana Medicorum scandala plana.*

Quod verisimum sanè deprehenditur, & affectus hic tam  
citò curari non potest, sed potentissima requirit medica-  
camenta (duro enim nodo durus adaptandus est cuneus)  
usque dum radicitus extirpari possit. Causa hujus affe-  
ctus in ventriculo quoque radicatur; chylicatione enim  
lasa & chylo crassiori generato, sanguis & reliqui humo-

res inspissantur, eorum motus retardatur, vasa phlegmaticis & viscidis humoribus infarciuntur, & obstruuntur, unde vascula à copia humorum in tumorem elevantur, & attolluntur, donec tandem ob nimiam tensionem atque pressionem contentorum (semper enim à tergo humores affluunt, nec tam refluent, vel præterfluunt, sed semper magis accumuluntur) rumpantur, materiæque contentæ exitum & spatium concedant, quæ evacuata, atque in cavitate collecta tumor, dolor, ac reliqua hydropis symptomata producuntur. *Februm intermittentium* [tam quotidianæ, quam tertianæ & quartanæ] causam in ventriculo latitare, probatione vix opus est, cum illæ sæpissimè unico vomitorio tolli possint: Cum etiam nihil frequentius febres producat, quam alimenta in nimia quantitate vel cum nausea ingesta, ut ipsi febricitantes vernaculâ lingvâ his verbis exprimunt: *Ich habe mir ein Fieber an dieser Speiß an Halsß gegessen.* Probat hoc ulterius *Joannes Jones perspicacissimus februm intermittentium scrutator in Tract. de Febr. intermit. Part. 2. Cap. 8. pag. 176. cujus verba sunt sequentia: Qui febre intermittente laborantes plus justo comedunt, [in suo corpore quasi carnificinam agentes] morbum nutriunt; ingluvies enim [ut sæpius ostendimus] cruditates generat. Vid. Michael. Ettmüll. Oper. in Compend. redact. Colleg. Pract. Lib. 1. Sect. 15. pag. 276. ubi ita scriptum legitur: Causa proxima est fermentum præternaturale in ventriculo genitum M. S. alterans, & motum fermentativum immutans, estque illud fermentum saporis salino-acidi: Conspirant in hoc symptomata & intermittentium cura: Origo ejus ex ventriculi digestionem emergit. Ex quibus satis constat, febres*

has etiam à male constitutò ventriculò oriri , siquidem & rationes id ulterius confirmant : Dum enim ventriculi actio laesa est, chylus impurus producitur , qui inde non amplius depuratur, quod enim in prima digestione negligitur , hoc in secunda & tertia rarò aut nunquam corrigitur , qualis enim chylus, talis sanguis, qualis sanguis, tales spiritus, tales actiones, & consequenter talis sanitas, ut cuique in Medicina parum saltem versato constat. Quoniam verò chylus heterogeneus sanguini propter materiae irregularitatem miscibilis non est , nec etiam excretoriis partium poris benè respondet , in ipsis & in corporis habitu illiusque glandulis stagnat, & justà quantitate vel qualitate collectà , spasmus excitat , & febrilem seu inversum sanguinis motum à peripheria ad centrum primum, deinde à centro ad peripheriam corporis propellit, unde motus sanguinis circularis æquilibrium tollitur, intestinus in vasis majoribus accrescit, in minoribus verò decrescit, hinc obstructions, spasmi, & inde febris oritur. Ex iisdem ferè causis *Hectica* & *Phthisis* originem suam trahunt, uti testatur *Michael Ettmüll. in Compend. Oper. omn. Colleg. Pract. Lib. 1. Sect. 15. Art. 5. pag. 294. ubi hæc habet : Incipit ordinariò hæctica primariò vitio ventriculi; reliquæ enim cause naturales hæcticam inferre vix sufficiunt, nisi subsit stomachi vitium, & hinc alimentorum corruptela,* quæ verba satis manifestè probant illius originem. Sva- det id ulterius & ratio, quia chylus particulis terrestribus & crudis refertus ad motum est ineptus, hinc in vasculis capillaribus facilè subsistit, acorem contrahit, qui inde sanguini infusus illum semper acriorem reddit, ita ut successivè tota M. S. tantà acredine imbuatur, & tam vitiosam diathesin

diathesin suscipiat, quæ sanguinis particulas oleosas & nutritias corrumpit, illas jamjam partibus solidis assimilatas colliquat, & secum abducit, reliquaque symptomata causatur. Quod idem de Phthisi intelligendum, cum hectica confirmata in phthisin transeat, & Phthisis nunquam sit sine hectica: Cum enim sanguis acidus & vitiosus in pulmonibus aëris injuriis sit expositus, ibi facilè stagnat, & tenellas pulmonum vesiculas erodit. *Arthritis quoque & Podagra* ortum suum debent ventriculo, teste *Frid. Hoffmanno in Annot. in Oper. Pot. Cent. 2. Cap. 91 pag. 256. qui ita scribit: Causa arthritidis latet in primis viis, quæ confertæ succis biliosis acidis sunt, hos si commodè purgantibus eduxeris, mirum levabitur malum, & in disitis quoque partibus medicamenti vis percipietur*: Vos etiam testes compello, qui hoc malo laborastis, atque in diata errorem comissistis, nonne illius erroris pœnas dedistis? Vinum, venus, & otium morbo huic fomitem suppeditare, nullus est, qui ignorat; cum enim menstruum ventriculi per copiosorem vini ingurgitationem diluatur, & activitate suâ privetur, cum per veneris exercitium spiritus ad ventriculi actionem maximè necessarij deperdantur, & inde deficient; cum per otium humores incrassentur, motus retardetur, spiritus animales torpidiores & langvidiores existant, chylificatio non parùm læditur, amurca viscidorum & acidorum humorum colligitur, sanguis p. n. acredine inficitur, qui ad omnes corporis partes defertur, unde & hæ particule heterogeneæ cum illo ad articulos deponuntur, ibidem in materiam tophaceam concrescunt, rosiones, vellicationes, doloresque causantur. Quid de *Scorbuto* dicam? satis notum esse suppono, illum à vitiosa


vitiosa ventriculi digestionem dependere, quod satis attestari possunt Westphali, Belgæ locis maritimis adstiti, & ubi insalubris est vivendi methodus, qui multis vescuntur salitis, fumo induratis, piscibus majoribus, salitis, & aliis difficilius digestionis alimentis, unde necessario heterogeneus extrahitur chylus, vitiantur & inde reliqui humores in corpore existentes, qui tanta acredine sunt infecti, ut partes solidas arrodant, ulcera pessima, aliaque gravissima mala producant. Multi licet & gravissimi morbi chronici fuerint recensiti, qui à ventriculo ortum suum habent, plurimi tamen adhuc restant, quos ut brevitati studeam (alias hæc mea Dissertatio nimium excederet) lubens prætereo: sufficiat saltem aliquorum hic mentionem factam fuisse, *Lector Benevolus* verò de reliquis affectibus analogicè discurrere poterit.

Quæstio: An verum sit hoc axioma, quod prius *fede & deformes Virgines per conjugium fiant magis venustæ, & pulchriores*? Respondeo, hoc quidem contingere posse, sed universaliter tamen verum non esse, & apud omnes locum non habere, sed apud illas tantum, quæ febre virgineâ, chlorosi dictâ, laborant; in his enim adest cachexia, color faciei pallidus & plumbeus, circa oculos circulus apparet lividus, lassitudo, febris lenta, anxietas præcordiorum &c. ubi ex suppressione veneris, stagnante liquore genitali, ex glandulis uteri, ejusque cervicis stilante, humores reliqui inficiuntur, atque in motu suo turbantur, unde hæc symptomata oriuntur. Optima autem Medicina est ejusmodi Virginibus exercitium Veneris; siquidem liquore hoc stagnante, mediante veneris actu excreto, à spiritu genituræ virilis tanquam novo elixirio mo-

tus humorum intenditur, magnaque alteratio in tota M. S. contingit, quod illorum, quæ conceperunt, color vividus & rubicundus probat: Hinc inchoato semel tali motu vivifico tam in partibus solidis, quam fluidis ille deinde propagatur, & perpetuatur, sanguis rarefit, & ad extremam corporis superficiem perreptat; unde color faciei pallidus in rubicundum & naturalem mutatur, atque hōc sensu concedi potest, quod Venus corpori venustatem conciliet.

## CAPUT II.

### *De Ventriculo Physiologicè sive secundum naturam considerato.*



**U**T eò melius constitutionem naturalem ventriculi contemplari possimus necessarium duxi, primò illius structuram esse examinandam, quæ optimè ex anatomicis desumitur: Ad hujus autem meliorem cognitionem definitio ejus præ reliquis annotanda erit, quæ talis est. *Ventriculus est viscus membranofum in abdomine sub diaphragmate situm, duobus orificiis dotatum, alimentorum receptioni, resolutioni, coctioni, atque inde per pylorum expulsionem dicatum.* Gaudet ventriculus tribus tunicis, quarum *prima* nervosa, tendinosa, crustosa, & villosa est, è plurimis quasi villis & filamentis exiguis telas araneorum imitantibus constructa; *Secunda* fibrosa & carnosa, quæ ipsi propria est; *tertia* membranosa est, & à diaphragmate proficiscitur. Venas & arterias habet quadruplicis generis scilicet gastricam, ga-  
stri-

stroepiploicam , pyloricam & vasa venosa brevia cum vena quadam coronaria , quæ per totum ventriculum longitudinaliter excurrit. Nervos insuper binos habet insigniores, qui à pari vago ortum suum deducunt. Viscus hoc ex membranis constat , membranas autem ex fibris legitimè inter se intertextis efformari, Anatomici satis superque demonstrârunt : Qua de re legi meretur *Georgius Baglivius in Tract. de Fibra Motrice & Morbosa Lib. 1. Cap. 3. pag. 11. & sequent. qui fibrarum originem & structuram mechanicè & eleganter ostendit.* Fibrarum autem officium est tendi & relaxari, unde membranæ vel dilatantur , vel corrugantur , prout variè afficiuntur , siquidem in spasmodicis affectionibus constringuntur, uti satis clarè videmus , tempore hyemali membranas à frigore in manibus præcipuè coarctari propter frigus urgens , quod ex eo satis patet, dum hyeme annuli in manibus gestati facilius detrahi possunt , quam æstate, ubi tam facili negotio non detrahuntur ; sic etiam tempestate frigidâ chirothecæ , calcei, aliaque vestimenta alias non satis ampla facili negotiò, contra verò æstuante corpore difficulter induuntur. Membranas quoque relaxari posse sufficienter præter alia probat paralysis, quæ est membranarum tanta relaxatio & atonia , ut ad motum ineptæ reddantur: Proband hoc ulterius expansiones vasorum in plethoricis vel etiam illis , qui vehementer æstuant , ubi partes intumescunt , venæ & arteriæ magis conspicuæ fiunt & ampliantur, ut hoc satis manifestè observamus , si manum aquæ tepidæ immittamus , quæ statim in majorem excrefcit molem, contra verò altera manus huic aquæ non immissa multò minor apparet. Notâ itaque satis superque

membranarum contractione atque relaxatione facile etiam nobis *motus ventriculi peristalticus dictus* innotescit: Fibrae enim in continuo motu positae sunt, & nunc dilatantur, nunc corrugantur, ita ut motus iste semper continuetur; dum enim media ventriculi tunica sese coarctat, ventriculus in latitudinem extenditur, & hoc quod in latitudinem protenditur in longitudine decedit, dum vero interior tunica corrugatur, ille in longitudinem exporrigitur, & hoc, quod in longitudinem cedit, in latitudine decedit, qui motus in statu naturali semper propagatur, atque peristalticus dicitur. Hujus motus beneficio alimentorum dissolutio non parum adjuvatur, imò etiam hoc mediante chylus in ventriculo elaboratus per pylorum ad intestina tenuia propellitur, ut ibi chylus magis fluidus reddatur atque purificetur. Perspecta igitur ventriculi structuram ejusque motu consideratò ad illius officium erit transeundum, cui alimentorum in chylum conversio ab Authoribus tribuitur, quod cum extra omnem controversiam aleam positum sit, actum agere viderer & cramben bis coctam apponerem, si circa hoc negotium plura verba facerem, cum praesertim hoc satis probet *Excell. Bobnius in Circulo Anatomico Physiol. Progymnas. 10. pag. 141.* Alimenta itaque stimulantè appetitu assumpta, dentibus probè masticata, liquore salivali benè imprægnata per oesophagum mediante motu fibrarum contractivo ad ventriculum devolvuntur, ibidemque in chylum transmutantur. Fit autem chylicatio non à fictitia facultate concoctrice, aut specifico quodam ventriculi calore, uti Veteres crediderunt, cum illae facultates concoctrices, retentrices &c. praeter nomen nihil nisi magnum

gnum inane dicant , & per illum calorem nunquam explicari possit, quomodo canes, ossa, cartilagine, struthiones ferrum &c. digerant , quod solus calor certè præstare non potest, cum illa etiam fortissimo igni exposita non resolvantur, vel in chylum commutentur ; sed fit hæc per modum extractionis, uti mecum sentiunt Authores fide digni, *Clariss. Bobnius in Circul. Anat. Pbyiol. Progyrn. 10. pag. 147. Excell. Frid. Hoffmannus in Fundam. Med. Lib. 1. Cap. 7. pag. 41. Clariss. Bernhard Valentini in Instit. Medic. Lib. 1. Cap. 8. pag. 32. aliique Recentiores.* Objectum autem extrahendum sunt alimenta particulis chylosis, oleosis, & gelatinosis referta, quæ varias in culinis præparationes prius subeunt, & vel conquassantur, vel contunduntur, vel inciduntur, vel elixantur, vel assantur, non aliter quàm chymici sua objecta extrahenda vel pulverisatione, vel tritura, vel incisione, vel contusione, vel quòvis aliò modò prius præparant, ut nexu jam aliquatiter solutò menstruum eo potentius in illud agere possit. Menstruum verò ciborum resolutioni inserviens subtile est, & valdè activum, quod ex nerveo-glandulosa ventriculi tunica exstillat, teste *Excell. Dn. D. Præside, Patrone acque Promotore meo nunquam satis venerando in sua Oeconomia corporis bamani Dissertat. 1. §. 9. pag. 7. Bobnio supra cit. loco pag. 148. aliisque.* Liquor hic gastricus in glandulis ventriculi tunicæ secretus, statim in assumptorum massam virtute suâ incisivâ impingit, seque in ejus poros insinuat, illique novum motum conciliat: Cum verò assumptorum pori huic menstruo non sint proportionati, ut illos libero pede pertransire queat, vi illorum poros perfringit, atque vehementius in illam agit, rea-

gitque massa hæc semisoluta. Hinc particulae alimentorum spirituosæ etiam in motum cientur, vinculis suis expediuntur, & etiam conjunctis viribus in ipsa alimenta extrahenda vim suam exserunt, illaque magis resolvunt: Cum enim spirituosæ tales particulae intra solidorum poros detineantur, & exitum liberum non inveniant, vi sua elasticâ cum impetu solidorum nexum pererrumpunt, illumque penitus destruunt, ut & aliæ particulae subtiliores in motum abripiantur, nexumque coherentem totaliter perfringant, ut ita alimenta in parvas moleculas dividantur, comminuantur, & fluida reddantur, inque liquorem subcineritium commutentur, qui chyli nomine venire solet, sicque chylicationis negotium mechanicè satis explicari potest, & opus non est, ut ad facultatem concoctricem confugiamus: ut autem chylosis eo melius perficiatur, & laudabilis inde chylus generetur, requiritur *menstruum ventriculi spirituosum, volatile, & activum*, quod ocys assumptorum poros penetret, illorum nexum diffringat, & in liquorem pultaceum convertat. Dicit enim *Frid. Hoffmannus in Fund. Med. Lib. 1. Cap. 2. pag. 7. solutio fit, quando ipsius corporis soluti molecula sub propria forma interveniente menstruo saltem dislocantur atque distrabuntur.* Huic actioni plurimum etiam contribuit *motus ventriculi peristalticus*, quod satis ex eo constare potest, quod vasorum continentium crebriori agitatione extractiones suas Chymici mirum quantum promoveant, siquidem & ratio hoc svadet; motui sanguinis intestino hoc tribuitur, cur non & huic motui aliquid concedendum est: per talem enim agitationem solidorum contentis semper novus motus infertur, menstrui


Strui activitas reviviscit, motus adaugetur tam in contentis, quam in continentibus : Dum enim contentorum particulæ parietibus seu tunicis ventriculi continuò alliduntur, uterque motus increfcit, sicque alimenta insignem patiuntur comminutionem & attritionem. Neque silentio involvendus hic est *calor ventriculi*, qui alimentorum digestionem multum adjuvat, siquidem per calorem particulæ spirituosæ exsuscitantur, subtilifantur, & assumpta intimius dissolvuntur; dum enim motus intestinus in vasis sangviferis increfcit, major fit sangvinis rarefactio, consequenter major motus, & calor (qui in motu consistit) major, liquor gastricus in fluore & activitate sua conservatur : Calore verò deficiente humores in motu langvent, menstruum ventriculi inspissatur atque iners redditur, alimentorum digestio depravatur, & multa alia incommoda in Pathologia fusius recensenda proveniunt. *Legitimus quoque spirituum animalium influxus* ad hoc negotium requiritur, qui menstruum gastricum spirituosum & volatile reddant, motum sangvinis in illius partibus promoveant, ventriculi tonum corroborent, ejusque motum peristalticum conservent, ut his mediantibus digestio promoveatur, alimenta que citius in chylum mutantur. Huc etiam pertinent *ipsa alimenta*, quæ certò tempore, certâ mensurâ, facilè digestibilia, & succo nutritiò referta assumere oportet, alias chylosis turbatur, & vitiosus chylus elaboratur, quorum vitia capite sequenti fusius pertractabo. Habes hic, *amicè Lector*, physiologiam ventriculi, ut eò facilius pathologia possit superstrui, qui enim actiones secundum naturam benè scrutatur, ille facilè etiam easdem præter naturam sese habentes perscrutari poterit.

*Questio:*

*Questio*: Utrum monorchis utriusque sexus proles generare possit? Respondeo affirmativè, cur enim hoc fieri non possit, non video, cum genitura virilis in uno testiculò æquè elaboretur, ac in alio. Licet Veteres in hoc mihi repugnare videantur, qui crediderunt, semen ex dextro testiculo profluens marem, ex sinistro verò profluens puellam generare; sed quoniam in hoc & ratio & experientia aliud dicunt, huic sententiæ non subscribam; siquidem *Balthasar. Tibimeus à Gùldenkee in Obs. Pract. casum recenset, ubi monorchis multorum & quidem utriusque sexus liberorum Pater fuit: vid. ejusd. Lib. 3. Cas. 45. pag 185. ubi etiam aliorum mentionem facit, qui testiculis destituti, generârunt.* Neque assertum hoc ratione destituitur, ad utrumque enim testiculum vasa deferentia tendunt, quæ sanguinem arteriosum pro genitura conficienda deferunt, uti hæc ex anatomicis & physiologicis patent.

### CAPUT III.

#### *De Ventriculo Pathologicè sive præternaturam considerato.*



Propositâ ventriculi constitutione naturali, ejusque officio, structurâ, reliquisque functionibus naturalibus benè examinatis, ad illius constitutionem præternaturalem devolvimur. Variè autem læditur ventriculus, dum nunc ejus actiones vel diminuuntur in bradypepsia, nunc depravantur in dys-

dyspepsia, nunc abolentur in aepsia. Has itaque ventriculi præternaturales actiones ut obiter perlustremus, operæ pretium est. Multa autem concurrunt vitia, quæ malo huic ansam præbent, quæ tam in ipso ventriculo radicantur, quam forinsecus adveniunt. Ex illis, quæ extrinsecus advenientia chylicationem lædunt, sunt i. ipsa alimenta, quæ vel quantitate vel qualitate, vel tempore importuno, vel ordine perversò peccare solent. *Quantitate* peccant, dum illa in nimiâ copiâ ingeruntur, quæ ventriculum nimium quantum distendunt, illius motum peristalticum pervertunt, tonumque relaxant, lymphæ gastrica pro tanâ mole extrahendâ insufficientis existit, cum illa ultra sphæram activitatis suæ non agat, unde illa in ventriculo fluctuant, dolorem gravativum producunt: Ad sunt ructus tum acidi tum nidorosi, chylus tandem impurus & multis heterogeneitatibus refertus generatur, qui inde in intestinis ab affluente bile & succo pancreatico non satis depurari potest, sed vitiosus ad sanguinem defertur, M. S. corrumpit, & in suam indolem successivè trahit, ut varii inde propullulent morbi, qui primariò ventriculo debentur. Si verò hæc qualitate vitiosa sint imbuta, chylus quoque generatur vitiosus juxta tritum illud: *qualis cibus, talis chylus, qualis chylus, talis sanguis, qualis sanguis, tales spiritus, tales functiones & consequenter talis sanitas.* Illa enim quæ duriores & arctiores compagem nacta sunt, difficilius digeruntur, & menstrui vim eludunt, non nisi repetitis vicibus atque ictibus fibræ rigidiores diffringi atque dilacerari possunt, sed tardius comminuntur, atque in talem massam rediguntur, ut tandem menstruum hoc illorum poros altius pos-

fit penetrare, atque inde in chylosam substantiam transmutare. Pingvia, viscosa, flatulenta atque leguminosa tardius quoque in chylum convertuntur, dum hæc salium spicula involvunt, atque infringunt, ut eorum activitas frustretur; Salita, fumo indurata, muria condita, particulis chylosis, oleosis & nutritiis destituta chylum viscosum atque heterogeneum suppeditant; qui sanguinem quoque acidum progenerat, illius spirituaſcentiam sufflammat, & plurimorum morborum causa existit. Illa etiam tempore inopportuno assumpta peccant, cum enim statim novi cibi prioribus nondum benè resolutis superingeruntur, tam priorum, quam posteriorum digestio turbatur, chylus semisolutus à ventriculo ad intestinum duodenum propellitur, quod fit ex necessitate mechanicâ; dum enim ventriculus jam jam repletus est, & illi nova suggeruntur alimenta fieri non potest, ut tanta quantitas in illo contineatur, quia spatium deficit, & tanta moles improportionata est huic angusto spatio, hinc ventriculus sese spasmodicè contrahit, & fluidiores contentorum particulas per pylorum exprimit, ut à mole sua liberetur, nova superingesti cibi cum sint minus mobiles, illius fundum petunt, & massam semisolutam inde expellant: *Corpus enim ubi ingreditur alterius locum, alterum inde expellit: Verba sunt Clariss. Frid. Hoffmanni in Fund. Med. Lib. 1. Cap. 2. pag. 2.* Cruda hæc massa variis inde corruptionibus exposita est, chylus enim purus atque homogeneus facilè vitiosam diathesin suscipit: Quid ergo de chylo heterogeneo corruptivè erit supponendum. Neque etiam ordo assummendorum perversus insuper habendus erit, dum nunc cruda, nunc cocta, nunc facilè digestibilia, nunc difficulter digestibilia, nunc quantitate, nunc quali-

sate peccantia comeduntur, quæ depravata alimentorum digestionem plurimum contribuunt, siquidem illa non simul & semel resolvuntur in chylum, sed semidigesta ex ventriculo elabuntur ubi cruditates ille tam facile non amplius corriguntur. Concurrunt etiam ad prædicta mala menstrui gastrici vitia, ubi I. illius *nimia crassities atque inertia* accusatur, ita ut alimenta sufficienter comminueret & resolvere nequeat, neque illorum poros satis penetrare possit, sed iners & languidum deprehenditur, assumptaque superficialiter tantum vel omnino non digerit, unde chylosis non parum læditur; menstruum enim assumptorum poris superficialiter tantum inhæret, illorumque nexum obiter tantum diffringit, chylum crassiorum plurimorum malorum causam progenerat. Huc etiam refertur *nimia menstrui hujus aquositas*, quæ pro chylo elaborando insufficientis existit; dum enim prædicta lymphæ spiritus ascensum suum, atque spiculis salinis depauperatur, officio suo satisfacere, (salium enim natura & indoles est, particulis suis rigidis & acutis in objectum vim suam exferere, illudque penetrare, unde sese in poros insinuant, illos perfrangunt, nexumque penitus destruunt & tali modo alimenta in chylum mutantur) non potest, ut scilicet alimentorum nexum dissolvat, sed idem effectus sequitur, qui à particulis aqueis frustra sperari potest; siquidem ab aqua simplici alimenta in chylum redigi non possunt, quod cuique satis notum est. Qualitatibus menstrui vitiosis consideratis, ad illius quantitatem deficientem deducimur. Satis notum est inter Medicos atque Philosophos, menstruum ultra Sphæram activitatis suæ non agere, sed justam requiri propor-

tionem inter objectum extrahendum, & inter menstruum extrahens: non enim liquoris gastrici tam parva quantitas sufficit, ut tantam copiam ciborum possit in liquorem pultaceum commutare: nisi enim alimenta in ventriculum ingesta non undiquaque à menstruo ventriculi diffringantur, & disuniantur, bona chylosis speranda non est, sed illa vel tardius perficietur, vel depravabitur, & mala in primo capite recensita ortum suum hinc nanciscuntur. Perspectis obiter saltem menstrui ventriculi vitiis, ad reliqua naturalis chylosis impedimenta erit descendendum, ubi *calor ventriculi deficiens* primò accusatur, qui menstruum iners & languidum reddit, quod inde assumptorum poros non ità liberè pertransire potest, sed activitate sua destitutum alimenta non ita benè & in minores moleculas dividit, chylumque crudum & crassum producit, primarium superius memoratorum affectuum fontem. Huc etiam referri meretur *impeditus spirituum animalium ad ventriculum influxus*, qui menstruo gastrico volatilitatem & activitatem suam conciliat, qui tonum ventriculi corroborat, hoc enim deficiente atonia & abolita chylosis sequitur, uti hoc testatur *Clariss. Georg. Baglivius in tract. de fibr. motr. & morb. lib. I. cap. 12. pag. 117. cujus verba sunt sequentia: sicuti à tono languido & laxo appetitus & digestio prosternuntur ac pervertuntur, sputatio oritur, & nausea, venter lubricus fit & id genus alia ex laxitate symptomata accedunt.* Uti etiam rationibus probatur, ubi interceptus est spirituum animalium influxus, ibi pars sensu & motu privatur, flaccescit, & relaxatur, cum omnem suam elasticitatem partes solidæ à Spiritibus derivare debeant. Prius quod

quod scilicet menstruo volatilitatem conferat, inde manifestum fit, quod ægrotantes & illi, qui Spirituum jacturam passi sunt, alimenta minus benè digerant, uti satis videmus inconvalescentibus vel febribus intermittentibus laborantibus, qui si cibos in largiori paulò quantitate assumant, statim morbi prioris recidivam sentiunt, vel alias incommoditates, quia menstruum hoc nondum satis spirituosum est, ut cibos intimius possit resolvere. *Viscera adiacentia quoq;* chylicationem impedire possunt, si se in naturali statu non habeant, dum illa vel nimis sunt distenta, & plus justò majora, ita ut ventriculum comprimant, illius motum cohibeant, contentaque pressione continua expellant ad intestina: vel dum in illis motus Sangvinis est minor, & consequenter etiam minor fit calor, qui alias in statu naturali calorem ventriculi multum adjuvat. Huc etiam faciunt *nimia hæmorrhagia*, quæ maximum Spirituum, Sangvinis & caloris (cæteroque ad bonam digestionem tam necessarij) dispendium causantur. Ultimum occurrit *motus ventriculi peristalticus perversè se habens*, quò deficiente etiam motus contentorum retardatur, quod ex eo satis patet, cum chymici vasorum continentium agitationi tribuant, quid non huic tribuendum sit, qui semper perdurat, & à fibrarum contractione dependet? dum enim fibræ membrarum moventur, illud quod ibi continetur, necessariò etiam movetur, & sic motus iste motum intrinsecum egregiè restaurat; si verò deficit, neque etiam contenta adeo moventur, sed & illorum motus langvet, unde alimenta minus resolvuntur, sed semidigesta ventriculum distendunt, dolorem gravativum, cardialgiam, inflationem

nem, ructus, nauseam, & interdum vomitum causantur, dum verò per pylorum ad intestina deponuntur, massa hæc ab affluente bile & succo pancreatico satis fluida reddi non potest, neque satis depurari, sed chylus semper heterogeneus remanet, ubi inde in intestinis per glandulas intestinales segregatur ad vasa lactea, quæ valde exilia sunt, facilè ibi subsistit, acrimoniam contrahit, vascula vellicat, & spasmodica inducit Symptomata, unde malum hypochondriacum, passio hysterica & multi alii morbi originem suam deducunt: patet hinc, quam necessarius sit motus ventriculi, illiusque tonus, ut hoc confirmat *Georg. Baglivi tract. de fibr. motr. & morb. lib. 1. cap. 7. pag. 67. ubi ita loquitur: ita si atonia, sive debilis fibrarum resistantia ventriculi, producit statim post pastum ingentes flatus, tensiones, lorborygmos, ut cibi veluti in vacuum lagenam decidere videantur, & incoditi per intestina secedant, quod fit ob pravam moram, quam in stomacho præfata suarum fibrarum flacciditatis causa faciunt.* De aliis impedimentis chylicationem remorantibus eodem modo discurrendum, ut v. g. sex rebus non naturalibus, quæ nisi legitimè administrantur, ventriculi actionem lædunt.

*Questio:* Cur Plebei & laboriosi homines non tot morbis sint obnoxii & si morbis tententur, citius convalescant, quàm divites & voluptatibus indulgentes? Respondeo, hoc quidem verum esse, sed si morbis vexentur, plerumque acutis morbis decumbunt, quod fit ob fibrarum rigiditatem majoremque illarum tensionem, unde partes solidæ in continuo motu positæ partibus contentis impulsu majorem atque motum largiuntur, hinc

fangvis magis rarefit, pori corporis aperti servantur, particula excrementitia ab humoribus secernuntur, & excernuntur, unde sanitas adest; delicatuli verò, otiosi, & voluptatibus indulgentes habitum corporis laxum, mollem ac flaccidum obtinent, qui genio suo indulgent, & omnia quaecunque sapiunt, devorant, unde chylosis labefactatur, humores heterogenei accumuluntur, indeque Morbona sedem suam accipit; cum enim tonus ventriculi & reliquarum partium sit relaxatus, partes fluidæ impulsu destitutæ tardius circulantur, pori habitus corporis occluduntur, sordes excrementitiæ in glandulis excretoriis stagnant, in M. S. revehuntur, illiusque motum atque nexum turbant, hinc pressò pede plurima mala tam ventriculi, quàm aliorum viscerum subsequuntur, & homines tales semper sunt valetudinarii, quia statim tales sordes excrementitiæ congregantur, quæ rursus sanitatem nostram interpellant.

#### CAP. IV.

#### *De Ventriculi Morbosi Diagnosi & Prognosi.*



Quid est, quod Medicum nobilitat, illique existimationem apud populum conciliat, certè est semiologia; est hæc fons, ex quo fluunt Signa tam diagnostica, quàm prognostica, tam salubria, quam insalubria: *qui enim benè cognoscit, bene curat, verba sunt Gbleni.*

Commendat insuper hanc doctrinam.

doctrinam Hippocrates, magnus ille Medicinæ parens lib. prænot. 76. bis verbis: *benè autem nosse oportet, & notas cujusque proprias & reliqua signa, minimè autem ignorare quovis anno & quovis tempore mala malum, bona bonum significare*: quibus verbis nobis signorum diagnosticorum necessitatem satis clarè innuit: Neque præfatus Author Signorum prognosticorum oblitus est, dum ait lib. prognost. §. 1. & 3. *Opera pretium mihi facturus Medicus videtur, si ad prognosin sibi comparandam omne studium adhibeat, ita enim meritò admirationem, & boni Medici existimationem sibi conciliaverit.* Idem text. §. prognost. curandi verò rationem optimè molietur, si ex præsentibus affectionibus futura prænoverit; & juxta eundem tria sunt, quibus in arte Medica nihil præclarior existit, nempe loqui de antecedentibus, cognoscere præsentia, & prædicere futura. Verba sanè notata digna, quibus paucis totam Semeiologiam exhaustisse videtur, ubi præsertim signorum prognosticorum mentionem facit, quæ si sit prudens & in rationibus fundata, Medicum commendat, si verò sit temeraria, & aliter eveniat, Medici honoribus plurimum derogat, illiusque famam lædit. Sed ut ad Scopum nostrum perveniamus, prius signa diagnostica & deinde prognostica erunt examinanda. Signa ventriculi morbofi diagnostica sunt: *Dolor gravativus post pastum affligens*, qui oritur, cum alimenta à menstruo gastrico inerte vel penitus deficiente non resolvuntur, sed in Massam crudam & linqvamen onerosum transmutantur, quod ventriculum distendit, atque dolorem gravativum inducit. *Inflatio ventriculi*, fit hæc dum pori tunicarum ventriculi sunt obstructi, ita ut effluvia (è tali viscoso & pi-

& pituitosò chylo exhalantia ) per illos legitimè transire nequeant, hinc magnus adest flatuum proventus, & consequenter magna distensio sivè inflatio. *Ructus assumptorum saporem referentes* : alimenta pudrida, acida, vel alia noxiâ qualitate prædita nisi intimè resolvantur, odorem suum adhuc servant, unde ructus per œsophagum ascendentes de tali sapore participant, uti id satis constat ab assumpto allio, cibis putridis, acidis, aliisque, ubi ructus talem quoque saporem referunt. *Cruditates tum acida, tum nidorosa* : cibi à fermento ventriculi vitioso & præternaturaliter acriore vel aliò modò peccante in saburram viscidam acidam atque putridam convertuntur, hinc ructus quoque sunt vel acidi vel nidorosi. *Cardialgia* : chylus & liquor gastricus præternaturali acredine atque corrosivitate infecti superius ventriculi orificium vehementius irritant, & mordent, unde Cardialgia sivè spasmodica fibrarum œsophagi contractio. *Nausea & vomitus* : nausea ut cum frid. Hoffmanno loquar, est vomitus intentatus & fit, dum tunicæ œsophagi ab humoribus acidis constringuntur, atque irritantur; dum verò talis irritatio, atque spasmodica contractura contingit in pyloro orificium hoc versùs œsophagum retrahitur, sicque contenta vi per superius orificium ejiciuntur. *Borborygmi* : cum vasa à materia acri irritante concrispantur, occlusis poris flatus accumulatur, qui cum humoribus vasa obstructa vi perumpunt, unde talis sonitus, qui etiam in vitris longiori atque angustiori collo præditis, humoribus repletis, observari solet, ubi aër contentum liquorem non ita libere pertansire permittit, hinc cum magno strepitu atque sonitu erumpit.

*driorum*: dolorem gravativum à crassis humoribus ori-  
 ri notum est: cum itaque chylus in ventriculo elabora-  
 tus fuerit crassior & viscosior, tardius movetur per intesti-  
 na ad vasa lactea, hinc successivè corrumpitur, acorem ac-  
 quirat, partes continentes vellicat, iisque spasmus in-  
 ducit, hinc glandulæ chyli depurationi, subtilisationi,  
 atque secretioni dicatæ obstruuntur, flatus copiosius ge-  
 nerantur, talesque tensiones hypochondriis indu-  
 cuntur. *Appetitus perit*: ob lympham ventriculi iner-  
 tem languidam suâque spirituaſcentiâ depauperatam, hinc  
 tunicam œsophagi nerveam non ita fortiter vellicat, in  
 qua vellicatione tamen appetitus essentia consistit. Ab-  
 soluta diagnosi ad prognosin descendendum, quæ Medico  
 magnam affert æstimationem, in morbis enim dubiis &  
 desperatis bono prognostico instructum esse oportet, te-  
 ste *Excell. D. D. Praside, Patrono atque promotore meo in  
 etatem devenerando, in instit. Med. lib. 3. cap. 4. pag. 128.  
 dum ita loquitur: in affectibus dubiis & desperatis bono  
 prognostico muniat se se bone fame Medicus*, ubi prognosin  
 sufficienter inculcat. Assertum hoc maximè locum  
 obtinet in morbis incurabilibus, ubi ægrotus prognostico  
 relinquendus, tuncque officio suo jam satisfacit Medicus.  
 Qui malâ ventriculi digestionem negligunt & illi non sta-  
 tim per remedia oportuna subveniunt, illi sanè pessimè a-  
 gunt, & ex morbo facilè curabili, morbum incurabilem  
 vel chronicum saltem efficiunt, id quod superius in capite  
 primo dictum fuit: quod mecum statuit *Mich. Ettmüll.  
 oper. in compend. redact. colleg. pract. lib. 1. sect. 5. pag.  
 205. ubi tale prognosticon habetur: chylosis lasa morbos  
 chronicos inducit. Ubi statim subjungit citat, autor: ex*

*cruditate acida in stomacho oriuntur febres intermittentes, malum hypochondriacum, colica passio, sorbutus, cachexia, morbi cutanei, artbritis & omne acidum vitiosum.* Patet hinc, vitia ventriculi ( etsi laxa videantur ) floccipendenda non esse, siquidem à chylo heterogeneo tota M. S. afficitur, quæ tam facilè non amplius depurari potest, sed longum requiritur tempus, donec vitium hoc radicitus extirpari possit; non enim multitudo remediorum, sed prudens & successiva illorum applicatio sanitatem restituit, ne tonus ventriculi penitus destruat, morbi que deteriores vel penitus incurabiles inde eveniant: hinc contingit, ut multi non vi morbi, sed vi remediorum pereant, uti hoc affirmat *expert. Georgius Baglivi prax. Med. lib. 1. cap. 13. pag. 127. dum inquit: filij magnatum frequentius ex inutili remediorum copia, quam ex vi morbi pereunt. Cibi fastidium in morbo diuturno enalum juxta Hippocratem apb. 6. Sect. 7.* indicat enim menstrui ventriculi vitium vel tunicarum ventriculi relaxationem, unde chylus & inde Sanguis corrumpitur. *In omni morbo ea, quæ offeruntur, facilè ferre bonum, Hipp. Apb. 33. Sect. 2.* quod dicit ordinatam Sanguinis & Spirituum motum, & ratiocinationem integram, spemque reconvalescentiæ indicat. *Dejectiones assumptorum nihil immutatorum, cineritia, & albicantes male,* quia signum est actionem ventriculi esse depravatam vel penitus abolitam, uti observamus in lienteria, fluxu cœliaco &c. *Urina cum sedimento levi & equali bona,* quæ signum coctionis veteribus dicta fuit, & bona judicatur, quia salia vitiosa cum sero excernuntur, Sanguis ab impuritatibus liberatur, lymphæ depuratur, lymphæ ventriculi gastrica

& Saliva naturalem statum acquirunt, unde bona digestio, & inde bona atque firma sanitas. Optimum signum est, si actiones corporis sunt integræ, si excreta & retenta naturaliter se habent, si qualitates externæ corporis naturalem obtinent statum, habitus corporis non est nimis tensus, neque nimis flaccidus & relaxatus.

*Questio:* An verum sit Galeni effatum: qui optimè cognoscit, optimè curat? Respondeo affirmando, dū ille non benè curat, qui causis & signis insuper habitis curam aggreditur; talis enim symptomatum connexionem, & morborum successione minimè callet, hinc ex morbo simplici complicatum reddit, morbum alium pro alterius morbi specie curat, & patientes miserrimè trucidat. Tales Empirici causis atque signis minus benè combinatis statim medicamenta & arcana sua (quæ juxta illos tantæ sunt efficacix, ut illis omnes morbos profligare possint, nullusque morbus sit incurrabilis, si illorum arcana audias, & revera tantum nugæ sunt, & hoc ipso inscitiam suam produunt) ægrotis obtrudunt, & si unum medicamentum effectum optatum non adipiscatur, statim ad aliud priori contrarium confugiunt, vires penitus exhauriunt, miserumque patientem medicamentorum multitudine penitus obruunt, ut ille fractis viribus succumbere cogatur. Plurimi tamen adhuc inveniuntur, qui aliorum damno sapere nolunt, sed satius esse ducunt in manus Empiriorum, vetularum, carnificis & illorum, qui artem magicam calent incidere, vitamque periculo exponere, quàm se se viro in arte perito plurimis tum rationibus tum experiētijs munito committere; unde si isti hominum deceptores illis multa medicamenta frustra propinaverint, morbum,

bumque facile curabilem & simplicem in complicatum & omninò incurabilem mutaverint, patientem derelinquunt, ubi tunc primum ad Medicum curritur, ut ille damnum iterum resarciat, sed nimis serò proh dolor! id faciunt.

## CAPUT V.

### *De Ventriculi Morbosi Therapia.*



Primè ille curationem exorditur, qui hæc tria observat, ut *citò, tutò, & jucundè* curet: *citò* curationem absolvit ille Medicus, qui naturæ conatus (per quas vias velit evacuationem instituere) adjuvat, & nullam occasionem negligit, methodumq; medendi non differt, siquidem dilatio vitæ periculum adfert, *juxta epist. Coi ad Cratev.* dum enim in Medicina occasio semel præterlapsa est, illa tam facile non iterum potest obtineri, dicit enim *Hipp. occasio præceps; tuto* autem ille medetur, qui consilio & non temeritate curationem instituit, qui nec nimis vehementia & drastica, nec nimis lenia adhibet remedia, sed mediâ & tutissimâ incedit viâ. *Jucundè* denique ille sanat, qui Patientem medicamentorum multitudine non obruit, qui à mitioribus incipit, & ad fortiora progreditur, qui ægrotantis appetitui & desiderio aliquid ex iis, quæ aliquam noxam magnam adferre possunt, concedit, & medicamenta ita scit modificare, ut illa cum gratia assumat, qui etiam Patientis consuetudini aliquid tribuit, qui bonum prognosticum Patienti affert, illumque solatur, unde sibi con-

fidentiam lucratur, quæ tertia curationis pars, ille enim plurimos sanat, cui plurimi fidunt. His prænotatis, ad indicationes curativas devolvimur, quarum *prima* est, actionem ventriculi esse restaurandam, fermentum ejus nimis languidum & iners esse corrigendum, incidendum, & attenuandum, acidum temperandum, aquosum spirituosius reddendum, deficiens supplendum, abundans educendum, spirituum influxum ad ventriculum derivandum, sanguinis motum & consequenter etiam calorem in illis partibus promovendum, tono relaxato prospiciendum, &c. reliquaque impedimenta chylicationem retardantia esse removenda. *Indicatio secunda* est, peccantem materiam jamjam coctam & ad egressum dispositam esse evacuandam: Siquidem *cocta non cruda medicari oportet* teste Hipp. alias particulae sanguinis laudabiles & homogeneae in motum cientur, atque per corporis emunctoria secernuntur, relictis terrestribus, crassioribus, quæ sanguinem magis incrassant, & motum tardiores efficiunt, hinc obstructions, & alia graviora mala subsequuntur. Quod attestatur *Frid. Hoffmannus in Fund. Med. Lib. 5. Cap. 3. pag. 206. cujus sunt verba: acidi & viscerosi humores difficilius purgantur, hinc opus est, prius præmittere alterantia & corrigentia, & hæc dicuntur digestiva*: Non enim in tali inveteratō malō tantum ventriculus est affectus, sed tota M. S. reliquique humores, qui non tam facile ad naturalem statum reduci possunt, sed temporis diuturnitate hoc damnum resarciri debet: *in longis enim morbis, quos tempus ut facit, sic etiam tollit, verba sunt Celsi Lib. 1. Cap. 3. Indicatio tertia* est, flatus in ventriculo accumulatos esse dissipandos, poros ventriculi occlusos

sos referandos, ut eò liberior flatibus transitus concedatur, sicque digestio promoveatur, hi enim tunicas nimium quantum distendendo fibras relaxant, motum illius peristalticum pervertunt, coctionemque impediunt. *Prima indicationi* satisfaciunt alterantia stomachica vulgò dicta, qualia sunt *ex Regno vegetabili* Herba absynth. menth. betonic. agerat. balsamit. calaminth. meliss. puleg. rosmarin. orig. serpill. thym. major. cichor. acetos. acetosell. portulac &c. flores anthos spic. lavend. salv. beton meliss. majoran. rosar. rubr. viol. borrag. bugloss. balauft. citr. &c. Radices aron. cyper. helen. pimpinell. scyll. rhapont. ver. galang. carlin. mei. gentian. caryophyllat. zedoar. zinzib. acetos. cichor. tormentill. glycyrrhyz. &c. fructus, bacc. junip. laur. nux indic. mosch. caryoph. arom. cardam. cubeb. cinnamom. piper. cydon. mala citria, aurant. granat. poma acida, prun. damascen. acac. passul. maj. & min. ceras. frag. rub. idæi. mespil. berber. &c. Semina 4. calid. maj. & min. coriandr. sinap. aneth. citr. aurant. seselios majoran. & frigid. maj. & min. hordei, acetos. &c. Cortices citri, aurant. lign. aloes &c. Aromata, calamus arom. macis. caryophyll. nux mosch. & reliqua superius inter fructus recensita Ligna xyloaloës, sassafra, gujac. santal. rubr. Gummata, myrrh. mastich. ammoniac. tacamahac. ladan. styrax calamit. &c. *Ex Regno animali* Ebur. CC. zibeth. mosch. castor. pelliculæ seu tunicæ interiores ventriculi gallinar. lac &c. *Ex Regno minerali* succin. ambr. corall. rubr. & alb. scoria ferr. limatur. chalyb. creta, unicorn. fossil. metall. & mineralia &c. Simplicibus succedunt composita, qualia sunt aquæ destill. menth. beton. calaminth. serpill. meliss. c. & s. v. cinnamom. s. & borragin. violar. acac.

acac. fragor. rosar. cydonior. acetos. acetosell. plantag. cichor. &c. tincturæ, essentia & Elixiria, corall. lign. sassafras terr. catech. ꝑ ij ꝑrisat. croc. mart. aperitiv. & succin. ambr. castor. rorismar. citr. aurant. myrrh. menth. meliss. galang. absynth. acori, cochlear. &c. Elixir. propriet s. acid. vit. matthiol. s. & c. mosch, & ambr. citr. &c. Olea stillatill. caryophyll. macis, cinnam. carui, anis. foenicul. menth. aneth. bacc. laur. major. nuc. mosch. mastich. &c. Sirupi de corticibus citri, arant, corall. betonic. diacinnamom. cydonior. meliss. menth. absynth. acetosit. citr. cerasor. ribium berber. oxymel squillit. &c. Conditæ, zinzib. in chin. condit. acor. ver. rad. helen. cortic. citr. aurant. galang. nuc. jugland. mosch. rad. cichor. cydonia condit. ceras. ribes, berberes &c. conservæ meliss. menth. anth. salv. | beton. hyssop. majoran. rosar. rubr. flor. tunic. flor. acac. cichor. acetos. ros. vitriolat. &c. species dianisi, diagalang. diacinnam. diambr. diatrion. pipereon. dianth. diamosch. aromat. rosat. diacret. rosat. novell. pro morsur. imperat. diatrion. santalon. diarrh. abbat. diamarg. frig. diatragacant. frig. pulvis stomachic. Quercet. s. Birckmanni. Specific. stomachic. Poterij, sæcul. aronis &c. Diætæ hæc medicamenta pro usu interno commendantur; externè verò laudantur ventriculo imponenda emplastra & cataplasmata, v.g. stomach. craton. de crust. pan. de bacislaur. de mastich. de tacamahac. de ammoniaco &c. balsam. percuvian. majoran. nucis mosch. cinam. olea stillatit. absynth. aneth. mastich. nuc. mosch. caryoph. menth. macis, majoran. meliss. chamomil. è bacc. laur. rutæ. cortic. citr. aurant. foenic. succin. tanacet. &c. unguenta stomach. craton. ægyptiac. comitiss. martiat. magnum. sæculi

culi & alia ventriculo imponenda ex pane tosto cum vino malvatic. & caryophyll. ac milio contus. parum cum furfure triticeo, bacc. laur. juniper. sem. aneth. cumin. &c. mistis, it. ex menth. serpill. calaminth. absynth. orig. chamæmel. Roman. majoran. meliss. parum contusis. Schönbornius in manuali Med. practic. laudat catellos pingues appositos, it. propriam manum Regioni ventriculi superimpositam in lecto. Quod & ego ipse in me sæpius fui expertus, cum ventriculus nimis esculentis vel potulentis fuit repletus, indeque multas sensi incommoditates, manum meam ventriculo apposui, ubi illa sensim incauit, diaphoresis spontanea suborta est, & à doloribus gravativis, aliisque incommoditatibus liberatus fui. Quod etiam ratione confirmatur, dum enim manus regioni ventriculi superimponitur, motus Sangvinis in illis partibus intenditur tam circularis, quam intestinus, pori aperiuntur cutanei, transpiratio promovetur, sordes excrementitiæ eliminantur, contenta ventriculi calore illius adaucto facilius digeruntur, in chylum facilius convertuntur, unde dolor cessat. Ex dictis modo medicamentis variæ possunt concinnari formulæ tam intus propinandæ, quàm extra applicandæ. His itaque benè & cum iudicio applicatis, prima indicatio absolvitur, chylus purus atque homogeneus generatur, ventriculus nimium quantum à mole contentorū pressus, distentusq; liberatur, nimis relaxatus tenditur, tensus relaxatur, tonus corroboratur, indeque Sangvis successivè depuratur. Sed licet per alterantia digestio ventriculi plurimum adjuvetur, non tamen penitus eradicatur; saburra enim vitiosorum humorum plicis ventriculi fortiter inhærens non

tam facile expellit, nisi fortioribus remediis id præstemus, quæ ex indicatione secunda petuntur, scilicet materiam peccantem esse evacuandam, quod fit tum per vomitoria, tum per purgantia, tum per diaphoretica, quibus materia peccans eliminari potest & debet. Cum indicatio est vomendi, & Patientes ad vomitum sunt faciles, emeticum propinandum, quod ventriculum & primas vias egregie mundificat, dum enim pylorus & tunica ventriculi ab emetici spiculis volatilibus spasmodicè contrahuntur, motus peristalticus pervertitur, orificium inferius versus superius retractum, sicque ventriculi atque intestinorum tenuium contenta vi per œsophagum & fauces ejiciuntur, quod primas vias depurat, & à vitiosa materia liberat, unde cruditatibus remotis chylicatio melius procedit, Sanguisque homogeneus producitur. Vomitoria sæpè unice morbos chronicos & quidem pertinacissimos evelunt, præsertim cum diaphoreticis mixta, ut hoc testatur *Frid. Hoffman. in fund. Med. lib. 5. cap. 3. pag. 211. qui ita loquitur: vomitoria cum diaphoreticis exhibita in obstructionibus & morbis gravioribus efficacissima sunt.* Licet aliqui præconcepta opinione sint imbuti, vomitoria esse medicamenta venenosa & summe nociva, aliud tamen suadet & ratio & experientia, nisi illa excessivâ in dosi propinentur, ubi demum venenosa fiunt, uti & omnia reliqua medicamenta. Vomitoria excipiunt purgantia, quæ in aliquibus certiores spondent salutem, si vomitus contra indicetur: agunt autem purgantia sale acri caustico fibras & glandulas intestinales spasmodicè constringendo atque convellendo, hinc motus peristalticus intenditur, intestina spasmò affectu contenta sua semper ulterius pro-

pel-

pellunt, atque tandem per intestinum rectum evacuant; cum verò *juxta Recentiores semper ibi sit major affluxus humorum, ubi est major irritatio*, consequenter etiam tunc ad intestina humores copiosius confluunt, unde Sanguis in majorem motum agitur, serum copiosius in glandulis intestinalibus secernitur, & cum excrementis per intestina eliminatur, hinc sordes excrementitiæ & amurca vitiosorum humorum in valvulis & rugis intestinalibus hærentes expelluntur, visceraq; chylicationis depurationi dicata emunguntur. Purgatio autem non sit nimis vehemens, siquidem non *αἰσχροῦς* & confertim, sed per *ἐπιχειρῶν* purgare convenit, ne nimia tunicarum intestinalium contractione spasmus & alia mala inducantur. Primis viis emetico vel purgante evacuatis, medicamentum diaphoreticum propinari potest, quod sordes excrementitias Sanguini intimius commistas per glandulas cutaneas eliminat, unde major subtilisatio & rarefactio in Sanguine contingit, obstructions tolluntur, motus Sanguinis tum circularis tum intestinalis promovetur, calor intenditur, hinc alimenta in ventriculo magis digeruntur, chylus homogeneus & purus generatur, sicque Sanguis rursus successive depuratur. Agunt autem diaphoretica, motum Sanguinis citatiorem reddendo, sale oleosò volatili, particulis alcalinis, Spirituosis, Sulphureis, Sanguinem nimis crassum attenuantibus, fundentibus, ejusque motum promoventibus, quo particule sorsæ salibus excrementitiis imprægnatæ expelluntur, & ad extremam corporis superficiem delatæ ab aëris calidioris expansione atque pressione ex poris excutiuntur: hinc alia positivè sudorem eliciunt, qualia sunt volatilia spirituosæ, & omnia quæ motum

Sanguinis promovent: alia privativè diaphoresin excitant, qualia sunt alcalina, acidum destruentia & omnia illa, quæ impedimenta Sanguinis motum retardantia removent: huc etiam referri merentur opiata, quæ furibundum Sanguinis & Spirituum motum compescendo serum (prius intra Sanguinis poros retentum) rursus per Sanguinis compressionem exprimunt, largamque interdum diaphoresin suscitant: huc etiam reducuntur martialia, quæ fibras relaxatas constringendo tonum partium restituunt, unde obstructions removentur, Sanguinis motus intenditur, & serum à Sanguine segregatur. Non opus esse existimo, ut diaphoretica hic recenseam, cum libri plurimi illis scateant. Hoc autem adhuc notandum, diaphoretica simul etiam esse alterantia, ita ut humores corporis nostri ab illorum exhibitione plurimum alterentur; nunquam tamen Patiens ad sudorem est cogendus, cum enim primæ viæ non benè sunt expurgatæ, & sudorifera fortiora propinantur, calor, ardor, dolor, vigiliæ &c. augentur, hæmorrhagiæ excitantur, & plura alia mala insequuntur. Salivantia leniora locum hîc invenire non negavero, dum enim menstruum ventriculi nimis aquosum est, per salivationem serum & saliva subducitur, quo inde in minori quantitate, sed efficacius & spirituosius in glandulis ventriculi secernatur, & successivè corrigatur, uti est radix pyrethri &c. Absolutis duabus prioribus indicationibus, ad tertiam me convertito indicationem, quæ talis est, flatus in ventriculo accumulatos dissipandos, & poros ventriculi esse reserandos, quod quam optimè fieri potest per carminativa, qualia sunt radix galang. angelic. levistic. herbæ aneth. menth. puleg. chamomill. majoran. rorismar. flo-

res sambuc. melilot. chamomill. semina 4. calid. maj. anis.  
 fanicul. carvi, cumin. cortices arantior. citr. cass. bacc. laur.  
 nux mosch. cardamom. cinamom. cubeb. coriandr. olea de-  
 still. anis. foenicul. carui rut. nardin. aneth. spic. macis, cort.  
 arant. cumin. menth. nucist. express. Spiritus mastich.  
 Θ\*ci anifat. nitr. dulc. menth. essentific. essentia cortic.  
 citr. arant. Zedoar. theriacal. &c. quæ cum alterantibus pos-  
 sunt commisceri, vel seorsim propinari, poros ventriculi  
 obstructos aperiu nt, pituitam viscidam incidunt, flatusque  
 discutunt. Externè ventriculo imponi possunt emplastra  
 ex gummatibus variis præparata, cataplasmata ex herbis  
 carminativis, olea, spiritus, pinguedines &c. inungil possunt,  
 quæ ventriculi actionem egregiè restaurant, ejusque to-  
 num confortant.

Coronidem denique imponit diæta, quæ in sex rerum  
 nonnaturalium legitima administratione consistit, illaque  
 ejusmodi patientibus benè erit inculcanda, ne excessum  
 aliquem in illa committant, & ne malum hoc semel pro-  
 fligatum rursus revertatur. Inter sex res nonnaturales  
 agmen ducit aër, qui cæteroquin homini tam necessarius  
 est, ut illò deficiente vivere non possit, qui licet vitam no-  
 stram conservet, plurimorum tamen morborum causa ex-  
 istit, qui etiam ventriculi digestionem tum retardare tum  
 etiam immutare valet, prout aliis qualitatibus refertus est;  
 crassus itaque pluviosus ac nebulosus humorum circulum  
 impedit, calorem sufflaminat, humores inspissat, spirituum  
 subtilitatem atque activitatem remoratur, unde digestio  
 alimentorum in ventriculo non parum læditur: talis ita-  
 que aër vitandus est, & si caveri nequeat, arte quoad licet  
 corrigatur hypocausti calefactione, juniperi accensione

& aliis. Cibus & potus tam quantitate, quam qualitate vitiosus evitetur; alimenta quantitate peccantia ventriculorum distendunt, ejus tonum relaxant, doloremque gravativum inducunt; præstat parcius victitare & levem à mensa famem referre, quàm ventriculum nimium infarcire. Potulenta etiam plurimum offendunt actionem chylicationis, dum illa in nimia quantitate ingurgitata fermentum gastricum nimium diluunt, illiusque activitatem obtundunt. Qualitate peccant, dum illa vel sunt nimis crassa & nutrimento destituuntur, vel sunt nimis flatulenta, & in flatus abeunt, vel difficilis digestionis, & tardius in chylum transeunt, vel aliis vitiosis qualitatibus sunt prædita, quæ benè sunt cognoscenda *juxta Hippocr. lib. de dieta. §. 6. dum inquit, unde facultates alimentorum probè addiscenda sunt non tantum in genere, quatenus alimentum ab alimento, sed & in specie, quatenus triticum à tritico differt, vinum à vino: quæ cum in Practicorum libris fusius pertractentur, ideo ppus non erit, ut illa hic apponantur. vid. Baldasaris Tbimæi à Gùldenlee consil. dietet. cap. 2. pag. 1101. Bernbard. Valentini institut. Med. part. 6. cap. 2. pag. 170. alijque.* Conducunt juscula ex carnibus bonæ notæ confecta, carnes molliores, & animalium juniorum &c. Potus vini generosi, vel panis vino hispanico, seu canariensi intinctus ventriculi digestionem egregiè promovet; grana mastichis sæpius deglutita ventriculum confortant. Motus sit temperatus, quoniam excessivus spiritus dissipat, sanguinem nimium rarefacit, & ad morbos cunctos disponit: deficiens verò humores incrassat, temperatus convenit, qui humores languidos in motum reducit, sanguinem à putredine præservat, tonum fibrarum corroborat,

rat, secretiones promovet, coctionem adjuvat, poros cutaneos referat, pravosq; inde humores expellit: motus autem magis conducit ante ciborum assumptionem, quam post illam, uti dicit *Hippocrates, labores cibum antecedant*. Exercitia autem varia sunt, dum alij id perficiunt ambulando, equitando, currendo, saltando, alij luctatione, vexillarum vibratione, alij hastiludijs, lusa pilæ, alij laboribus &c. quæ omnia humores in majorem motum concitant. Quies contra, ubi corpus à motu fuerit defatigatum lassitudinem solvit, humores nimis effervescentes in motu cohibet; nimia verò humores inspissat, calorem infringit, secretiones & excretiones impedit, obstructions causatur, corpus debilitat, ventriculi digestionem retardat, aliaq; inde plurima mala producit. Somnus quieti affinis est, qui si sit moderatus, vires egregiè restaurat, hinc spiritus regenerantur, coctio non tantum ventriculi, sed & reliquorum viscerum adjuvatur, cruditates absumuntur, sollicitudines sopiuntur, imò totus homo recreatur, & ad omnes actiones habilior atque alacrior redditur, immoderatus verò humores crassiores efficit, Spiritibus torporem inducit, aliaque mala, ut de quiete dictum est causatur. Vigiliæ diutius protractæ Spiritus dissipant, ventriculum debilitant, humores reddunt acriores, viresq; prosternunt; si verò temperatè se habeant, omnes actiones vitaliter peraguntur, humorum & Spirituum activitas conservatur, coctiones promoventur, superflua humiditates absumuntur, excrementa evacuantur, tonus partium roboratur. Excreta si se secundum naturam habeant, bonum, ille enim qui benè ingerit, digerit, & egerit, sanus est, unde si quantitas excretorum respondet assumptis, nec qualitate vitiosa sunt infecta & cum ephoriâ sive tolerantia fiunt, sanitatis signum est, si verò modum excedunt, præter naturam se habent, & morbosa sunt; hinc maximum virium dispendium ab immoderatis hæmorrhagijs, uti & alijs evacuationibus subsequi solet. Retenta quæ non retineri secundum naturam debent, plurimorum morborum causæ existunt, dum motum humorum retardant, illos qualitate vitiosâ coinguant, unde obstructions, tumores, ex his ruptiones & extravasationes accidunt, quod satis attestantur omnis generis febres, tumores, inflammationes, aneurismata, hydropes, cachexiæ &c. à transpiratione tam sensibili, quam insensibili inhibita, quot morbi orientur in foro Medico notissimum est. Animi denique pathemata humorum motum possunt vel retardare, vel accelerare pro variâ illorum modera-

tione; sic motus humorum promovetur in ira, gaudio, amore, lætitiâ; retardatur verò ille in tristitia, timore, metu &c. quæ Spiritus in motu impediunt, ligant, eosque in crasi sua destruunt, unde digestio ventriculi turbatur, chylus vitiatur, & plurimæ inde molestiæ oriuntur; hinc illa refrænare oportet, ut humores in legitimo motu & mixtione conserventur, quod præcipuè notent literati, qui magis animi, quàm corporis motibus afficiuntur: *multi (inquit Georg. Baglivi in prax. Med. lib. I. cap. 14 pag. 140.) fateor ob repletiones in morbos incidant, sed multo plures ob animi pathemata, & potissimum hi, si aut patresfamilias aut rei familiaris cura distenti, aut in dignitate constituti fuerint, quorum quam plurimi longè alia cogitant, quam stomachum crapula, ebrietatibus quotidie replere. Item eodem cap. pag. 142, ita loquitur, qui laborant animi pathemate corripitur potissimum solent morbis ventriculi.* Quibus satis manifestè indicatur illa magnam vim in corpora possidere, ideoque moderanda esse. Qui itaque sanitati suæ studet, & morbos præcavere vult, ille usum sex rerum non naturalium benè observare & in illarum administratione nullum excessum committere debet, sic se à plurimis morbis præservabit.

*Questio: An Medicè vivere sit miserè vivere? Respondeo hoc quidem verum esse, si hoc adagium in sensu rigorosò sumatur, si verò in sensu latiore sumatur, non ita se habet: uti enim summum jus est summa injuria, ita etiam nimis exquisita & stricta vivendi methodus est summa miseria; nam qui strictissimæ diætæ & scholæ solernitanæ rigori se se submitunt, illi sanè miserè vivunt; convenit magis laxior diætæ, ubi etiam aliquid consuetudini tribuendum, *consuetæ enim juxta Hippocr. aph. 50. sect. 2. longo tempore etsi deteriora minus tamen molesta esse solent;* hinc ab inordinato victus genere subito palatum strictiori diætæ alligare, minus tutum esse videtur, teste Hippocrate qui ait: *omnes subitaneæ mutationes periculosa sunt:* hinc successivè ad aliud victus genus est descendendum. Subsisto hic, atque disputationi meæ finem impono, nihil aliud superesse existimans, quam ut infinitæ Dei clementiæ pro concessis hæctenus viribus gratias persolvam immortales, devotè rogans, ut porrò dignetur laboribus meis adesse, quos infinitæ ipsius gloriæ Proximi commodo atque solatio dicatos esse volo atque exopto.*

